

itaque ascendenti recta Capitolium (hoc est palatium, in quo Praetor Romanus, puto Senatorem urbis vocant, habitat), ad dextram vero palatium II. Conservatorum, ad sinistram templum Ara Coeli, (utrisque palatiis multo altius) occurrit. In medio est satis lata planities. Utrumque autem palatium Capitolium generaliter dicitur, nam cum ex ipso veteri Capitolio nunc nihil supersit, sane incertum est Capitolii appellationem vel huic vel isti attribuere. Non dubito autem, quin Capitolium vetus utrunque locum occuparit.

Praetoris igitur Palatium, nihil quod ego viderim, vel ex aliis audiverim, memorabile continet. Oblonga quadrataque forma est. Intus aulam habet admodum amplam, in qua causae civiles criminalesque aguntur, ipso Praetore iudicio praesidente. Nihil ornati conspicitur. Picturae quae paucae in ea fuerunt, iam senio oblitteratae sunt. Breviter, et intus et foris vetustate tantum, veterique Romano nomine conspicuum est. Ascenditur intus clivo continuo, mulis potius quam hominibus facto. Foris parietes superiorum praetorum insigniis oppleti sunt.

Palatium vero Conservatorum et amplius multo et splendidius est. Habet enim tam foris quam intus porticus. Habet in medio aream sub die elegantem, habet adiunctos hortos etc. Primum igitur ante porticum istius palatii foris duo pari forma marmorea fluviorum simulacra, seminuda, et invicem se respicientia, mirandae magnitudinis videntur, quorum alterum Sphynge Aegypti peculiare animal, alterum tygridem Armeniae truculentam feram, cui dextri innituntur cubito, habent, sinistris autem utrumque cornu copiae, rerum affluentiam significans, tenet. Unde quidem volunt, hoc Tygrim, illud vero Nilum esse.